

De

Matrimonio Christianorum.

Doctrina catholica, proposita ad concordiam
sacerdotium inter et imperium restituendam

a

Gregorio Thoma,

Episcopo Lincensi.

§. 1.

Concilium Tridentinum sessione 24. traditionem ecclesiae normalem, nunquam non propositam, populis fidelibus nova quadam sollicitudine observandam sumpsit, id quod legenti facile patet.

Memorat idem sacrum concilium, contractum matrimonialem statim ab initio creationis humanæ tanquam indissolubilem esse, nec non ad sacramenti dignitatem denique ab ipso Salvatore elevatum.

Ecclesia Christi regnum Dei dicitur ab ipso Christo et apostolis.

Regnum Dei Evangelii Christiani fundamentum et perpetuum principium ceu praeceptum est nusquam infringendum.

Ecclesia catholica jure divino nititur, atque idcirco irrefragibili ac suprema potestate soli Deo atque Magisterio apostolico subdita est, quae clarissima ratio

sole clarius indigitat, potestatem ecclesiasticam independentem, quoad exercitium sui fori, legum suarum, summam et inviolabilem esse.

Quantumvis sancta catholica ecclesia hanc sibi dignitatem Christo monente tribuere teneatur, non ea tamen est, quae humanarum societatum et imperiorum auctoritatem civili in foro libentissime non agnoscat, juvet, tueaturque pro suis viribus.

Eadem autem ipsa catholica religio pro sua indole forum habet non solum externum, sed et internum. Idem conscientiam maximopere stringit cunctorum suorum fidelium, ut id, quod in foro externo liceat valeatque, in foro quoque conscientiae obliget, et vicissim. Interna itaque simul ac externa jurisdictionis potestas ecclesiae catholicae agnoscenda est, jure divino obligans, ut dictum est supra, duplici respectu, et sacramenti divinitus instituti, et contractus ab Evangelio Christi ordinati.

Quisquis igitur hanc legem infringere moliatur, idem ipse adversus Christi fidem insurgit. Jure profecto nativo suo ac inviolabili procedit ad statuendos canones eidem cap. Conc. Trid. Sess. 24. adnexos.

§. 2.

Hisce praemissis priori in paragrapho argumentis indubitatis Christianae religionis ad tuendam sacrae fidei de contractu matrimoniali doctrinam item ad defendendam sacramenti matrimonialis dignitatem plures canones Concilium Tridentinum contra novatores saeculi 16. statuit, quorum primus sic sonat:

Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo domino

institutum, sed ab hominibus in ecclesia inventum neque gratiam conferre, anathema sit.

Non tantum novum sed absurdum inventum fuit scholae protestanticae, matrimonium novae legis non esse sacramentum, quod utique creditum observatumque fuit ab origine Christianae religionis ab universali ecclesia.

Novum, inquit, commentum omne id, quod in ecclesia semper et ubique et ab omnibus creditum est, dici nullatenus potest. Imo vero et absurdum et impium, quod Christianae religionis dignitati, quodumcunque modo, detrahit atque ipsius salvatoris eloquiis, sacris literis quoque consignatis, quemadmodum recitant veteris ac novi testamenti sanctissima testimonia: Genesis cap. 2. Epistola ad Ephesios 5, 32.

Scholasticorum, qui catholicae doctrinae nuntium dederunt, ab initio inventum est, potestatem statuendi matrimonium impedimenta dirimentia et impediencia ex concessione civilium principum promanare.

Ecclesia primigenia, immobilem supra petram innixa, nihil circa fidem, circa Christi sacramenta statuit, et statuere potest, quam quod praecipiente ipso divino Servatore traditum accepit. Quae itaque ex scholis protestanticis in unum alterumve Catholicorum subsellium subintroducuntur sunt, eadem censura removenda studeamus, quam irrefragabilis doctrina statuit in concilio Tridentino.

An divinum regnum, an doctrina apostolica, quam servandam promisit unam eandemque perpetuo, an tanta, quanta potest maxima, ecclesiae potestas, ex concessione saecularium principum statuere quidpiam in

doctrina Christiana voluit, potuitque? Quæ utique impia est piis auribus opinio, falsa, erronea etc.

Veneramur sacras levitici libri literas populo israhelico præscriptas, non autem populo Christiano, cujus legifer solus et unus est dominus noster, qui id abrogandum duxit, quod olim propter duritiam Judæorum toleratum fuerat.

Observandum a quovis candido animo est, societatem matrimonialem, quemadmodum ab initio a Deo instituta est, Christo monente revocatam esse atque honoratam sacramentali signaculo.

§. 3.

Canon IV ejusdem Sessionis 24., idem ille, quem vellicant, dilacerant, obscurare nituntur neotherici, sic sonat:

Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.

Quemadmodum canon primus, contractum fideium novi testamenti matrimonialem jure divino sacramentum esse, statuit, quod item creditum est antea et postea, semper, ubique et ab omnibus catholicis, ita etiam respectu contractus matrimonialis atque respectu sacramenti statuere impedimenta potuit et sancta Ecclesia.

De ministro hujus sacramenti nominando theologi non omnino conveniunt. Seniores sacerdotem ministrum hujus sacramenti ordinarium vocant, sunt enim hi tales dispensatores mysteriorum Dei, Apostolo scribente I. ad Corinthios.

In regionibus autem dissitis, ubi nulla omnino co-

pia presbyteri habetur, contrahentes quoque ministri hujus Sacramenti a non paucis habentur.

Odimus profecto et arcemus, non homines quidem, sed opinionem quorundam hominum, canonem hunc istum ex concessione principum sæcularium ab Ecclesia mutuatum esse.

Nihil unquam catholica fides admisit, sancivit, pro divina doctrina promulgavit, quam quod revera divinum est. Quodsi hujus generis opiniones invalescerent, actum penitus esset de jure divino, quo gaudet Christi ecclesia, de fide divina, de infallibilitate Ecclesiae Catholicae.

Opiniones hujus generis portam aperirent abortivis quibusque contra sanctam fidem opinionibus.

An autem etiam principes sæculares potestatem habent, statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia? An jus nullum erit principi in id, quod sollicitudinem ejus et curam quam maxime postulat, cum nihil ad Reipublicae conservationem magis pertineat, quam Matrimonia! Nos certe ii non sumus, qui vellemus ex principum potestate aliquid detrahere; procul dubio penes ipsos jus est, irritare, ac invalidum declarare contractum civilem; nam quod civile est, potestati civili subjacet. Huc pertinet illud Sti. Thomae Doctoris angelici: Matrimonium, in quantum est in officium naturae, statuitur jure naturae; in quantum est in officium Communitatis, statuitur jure civili; in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino; ideoque ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima.

Si ergo Ecclesia Sacramentum daret personis, quas lex civilis inhabiles declarat, verum quidem esset

et legitimum Matrimonium in foro Dei et Ecclesiæ, at nullum quoad effectus civiles.

§. 4,

Canon VII dictae sessionis singularem observantiam præstat, ex historia ecclesiastica dilucidandam, in ecclesia orientali orthodoxa et schismatica, cujusmodi servare et unire sibi voluit pia mater Ecclesia, quantum potuit, absque detrimento tamen catholice doctrinae, placido ore istum Canonem his verbis mitigavit.

Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, ve etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.

Atqui ecclesia catholica semper docuit et docet, propter adulterium unius vel utriusque partis matrimonium non dissolvi, quod facile græca christiana Ecclesia concessit, permissa consuetudine a se aliquoties observata.

Respexit sacra synodus ad obvenientes aliquando difficultates in matrimonio Christianorum et ideo sequentes canones adjunxit.

Meruerunt Græcorum fideles id genus considerationum, quæ si præcipitata fuissent, damna quæpiam asportare videbantur.

Exemplum suspensæ ponderationis habuit sub ævo adhuc apostolico, quando agebatur de controversia inter christianos a Judæis et simul a gentibus descendentes. Act. Apostol.

Exemplum alterum merito adduci potest de observando paschate inter orientales et occidentales usque ad Synodum Nicænam I. œcumenicam.

Eodem ferme modo consultius agendum esse, arbitrabatur Ecclesia christiana contra Semiarianos et Semipelagianos; medio ævo in certamine de Corpore et Sanguine Domini inter Paschasium Radbertum et Ratramnum, item tempore Sti. Bernardi contra Abælardum et socios ejus.

§. 5.

Canones, qui sequuntur, solida argumentatione subsistunt.

Canon 9. sic sonat: „Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto: et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathemasit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id quod possumus, tentari.“

Adversarii aperte defendunt, promissum coram Deo et hominibus factum humano judicio infringi posse, quod est absurdissimum. Vovete et reddite Deo vota vestra.

Canon X: Si quis dixerit, statum conjugalem antepponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius, manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.

Probe sciunt, qui sobrie sentiunt qui Apostolicum magisterium nullo unquam tempore secuti sunt, id Christi apertum dictamen esse repetitum a Sto. Paulo I. ad Corinthios, quantumvis hanc doctrinam non omnes capiant, quod idem Apostolus perstrinxit longe lucidatissime.

Canon XI: Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

Assertum absque omni omnino tabula historiæ nescio a quo temerario calamo, propositum.

§. 6.

Canon XII: Si quis dixerit, Causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.

Causæ matrimoniales duplici ex ratione ad iudicium christianæ Ecclesiæ spectant, primo: ut contractus matrimonialis, ut supra dictum est, legibus Christi adprime consentaneis stabiliatur; secundo: ut dignitas Sacramenti, qua par est reverentia, respiciatur, quod ex natura hujus considerationis sponte fluit.

Leges evangelicæ, leges catholicæ Ecclesiæ, in-
violabiles debent esse, atque omni- ex parte bene ob-
servandæ, quem in finem obligantur apostolici prædica-
tores, ceu judicium ecclesiasticum, causas tam sanctas
instituti a Deo matrimonii, qua par est diligentia, exa-
minare et curare reverenter.

Quidquid proinde ab Evangelii christiani pastori-
bus sancitur, tanquam præceptum divinum suscipien-
dum est. Id semper in Ecclesia catholica observatum
est ac observandum erit.

Judicium Ecclesiæ catholicæ conscientiam fideli-
um tantopere ligat, constringitque, ut nihil non, imo
vero sanguinem atque vitam citius parata sit dare
anima christiana, quam contra istud judicium conjugi-
um contrahat vel servet.

Maluerunt fideles christiani mortis supplicium pa-
ti, quam adorare idolum.

Eodem modo leges omnes ecclesiasticæ rite pro-
mulgatæ semper observatæ sunt. Pœnas adversus con-
travenientes Ecclesia statuit omnibus physicis legibus
fortiores; non enim hi tales sacris coetibus interesse,
absolutionem sacramentalem percipere, et a pœnis hu-
jusmodi absolvi potuerunt, priusquam sese Ecclesiæ
ritui humiliter subjecissent.

Multas etiam physicas in regnis christianis ali-
quando intulerunt iudices ecclesiastici, quia hoc non
solum permisit, sed et suasit tribunal et poenitentiae
in facie Ecclesiæ præstandæ moralis obligatio.

Verum enim vero, qui adfirmant, has et reliquas
leges ecclesiasticas ex fonte regni civilis fluxisse, toto
cœlo aberrant. Ubiubi officium præcedit, adesse simul
debet jus, officium istud promulgandi et exequendi
in foro interno et externo. Jure equidem suo

non omnes tenentur, uti in negotiis sæcularibus; at vero, ubi præceptum divinum obligat, obtemperandum est absque omni distinctione et excusatione.

Titulus juris canonici seu ecclesiastici originarius est sensu proprio suffultus et immobilis.

§. 7.

Discrimen itaque inter iudices ecclesiasticos et iudices sæculares observant literati. Isti internum hominem sive subditum suum moderantur, ut societati christianæ adprime satisfaciant in omni sua extensione. Eorum forum, natura et indoles sedem suam in spiritu credentium (actionum suarum, cogitationum et operum) i. e. in veritate Evangelii Christi habent. Quantumvis de internis, quamdiu interna sunt, non iudicat prætor quoque ecclesiasticus, sanctionem tamen prædicat et imponit contra eos, qui christianæ legi opere vel ore adversantur.

Judices seu potestas sæcularis actus externos secundum leges civiles dijudicant, minus de internis solliciti; sed auctoritatem suam stabiliunt sanctione externa, multiplicis generis pœnis contra adversantes insurgunt, ut id, quod æquum est, quod tranquillitas civilis et securitas postulant, sanctum tectumque servetur.

§. 8.

Salus fidelium potissimum dependet ab instructione sacerdotum catholicorum simulac a pia fidelium obedientia, industria et conversatione Evangelio Christi conformi. Si quando autem observaverint iudices ecclesiastici quorundum fidelium fragilitates, actus et sermones Evangelio disformes, monent ab initio indurio-

res animos, poenas quoque pronuntiant, v. gr. jejunium, separationem a sacris conventibus, tandem suspensionem et excommunicationem etc. etc., quae poenae et olim et nunc vix non omnes melioris sensus ad frugem reducunt meliorem. Ii, qui obedire omnino detrectant, infideles vocantur, de quibus scriptum est: Infidelis, si discedit, discedat. Membrum tale amputatum est a corpore ecclesiastico, quemadmodum id contigit olim in Ario, in Pelagio; recentiori aevo in Socino, Socinianis etc. contra sanctiones ecclesiasticas rebellibus.

Judices saeculares, potestas saecularis forum suum in externis legibus ac poenis sanciunt. Christiana Ecclesia, ubi et quantum recepta est, sanctiones hujus generis observandas praecipit, imo et a discolis quoque principibus, quoties istiusmodi leges Evangelio Christi non adversantur. Quando autem tristis iste casus contradictionis suboritur inter statuta regni saecularis et inter legem Evangelii, nil superest Ecclesiae christianae, quam ut fidelium suorum rectitudinem, innocentiam ore et scriptis ante oculos ponat tribunalium civilem, quod aliquando Apologiis praestitum est. Si nihilominus Jovem, Apollinem, Dianam aliosque falsos ethnicorum Deos sacrificiis colere vel laudare canticis coguntur, pia mater Ecclesia potius tolerare vexationes cunctas forti animo ac quidem ipsam mortem suscipere suasit, quam scelestas et impias leges prosequi.

Quam rem innumera exempla contestantur sanctorum martyrum.

Concordia regna inter Ecclesiastica et civilia utramque rempublicam ad magnam incolumitatem evehit, ad

magnam culturam, dicimus, quod verum est, ad maximam salutem et felicitatem suorum subditorum. Concordia ista barbariem, inscitiam, mores agrestes emollit, nec sinit esse feros. Exemplo nobis sunt plures imperii Romani Provinciae, annales ecclesiastici Hispaniae, Galliae, Angliae, Germaniae, posthaec regnorum septemtrionalium, Africae et Americæ suo tempore.

§. 9.

Propositio, quam in praesentiarum dilucidavimus, satis superque demonstrat, primo: utramque potestatem sacram et civilem proprium suum habere forum, scopum duplicem quidem conferendae felicitatis. Ista salutem animarum et vitam aeternam curat, altera tranquillitatem et salutem suorum nititur firmare externam et temporalem.

Optandum proinde est, ut limites utraque potestas, sacerdotium et imperium civile, jus profanum, jus sacrum optime et amicabiliter observent.

Qua ratione Ecclesia, non minus civitas externa, pleno salutis lumine fruuntur et frui sunt temporibus multis ac locis. Mores christiani amica manu sustentarunt tranquillitatem publicam, omnis generis artes et culturam, quantum ista felicitas locum habet in praesenti vita, quae semper tamen est nonnisi praeparatio ad vitam aeternam, tempus breve, magis item minus vallis lacrimarum, transitus ab hac vita ad alteram utique aeternam, salutis bene, purgatorum aut miseriae aeternae.

§. 10.

Discordia dirumpit amicitiae et felicitatis vincula impedit res maximas. Dilabuntur exinde amicitiae tran-

quillitatis et securitatis fundamenta. Proh dolor, faciem longe tristissimam exhibent annales quorundam temporum et provinciarum, ut nemo ignorat historiae gnarus. Floruit profecto Romanum imperium, postquam Ecclesiae christianae pacem dedit, multo plus, quam sub regimine fortissimorum imperatorum; excoluit urbem et orbem christiana religio.

Floruit Africa sub Cypriano, Augustino etc. etc., artes et literas foverunt in Oriente et Occidente Gregorii, in eremo suo divus Benedictus praecones mittendo ad paganos in Hispaniam, in Angliam, quales fuerunt Isidorus, Aemilianus, Ildefonsus, Augustinus, Anglorum Apostolus et socii ejus Beda Venerabilis et Bonifacius, sol oriens Germanorum!

Quae res cum ita se habeat, tabulis historicis illustrata, nullum votum in nobis esse potest excelsius, sanctius et optabilius, quam ut in hoc argumento, quod pertractandum hic sumsimus, summa concordia inter sacrum et profanum imperium stabiliatur firmiter.

Decisio firma nusquam laedenda recitatur in Canone ultimo Sess. 24. Conc. Trid.: Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. Quidquid spectat ad dignum ineundum Christianorum matrimonium, id omne ad causas matrimoniales referendum, atque ideo iudicium desuper repetendum a iudicio ecclesiastico et decidendum est. Statuta ab ecclesia impedimenta eapropter impediencia et dirimentia observanda sunt conscientia summa. Impedimenta huiusmodi non eadem semper et ubique fuerunt, sed ut salus et conditio fidelium id suaserunt. Ecclesiae sollicita vigilantia nunquam non invigilat, ut fideles suos praemuniat et retrahat ab omni via, quæ salutis animarum obnoxia

esse possit. Valent ideo omnimode impedimenta matrimonialia, ut licite et valide ineatur conjugium, quod Apostolus rem sacram, seu sacramentum vocat, quod conjugium Christus suo ipsius exemplo sanctificat atque servat.

Impedimenta impediencia illicitum faciunt quidem matrimonialem contractum, non autem invalidum. Impedimenta impediencia pro temporis et locorum genio plura aliquando et minora esse possunt. Hodie in foro Ecclesiae sequentia sunt:

- a) Defectus proclamationum.
- b) Tempus vetitum.
- c) Sponsalia cum alia persona jam celebrata.
- d) Votum simplex castitatis.

Impedimenta contractum matrimonialem dirimentia, seu quae matrimonium omnino non solum illicitum, sed et invalidum reddunt; hodiedum in foro Ecclesiae sequentia sunt:

Metus vel vis; error personae; conditio apposita; impotentia; raptus; disparitas cultus; ligamen votum solemne castitatis; ordo sacer, crimen adulterii vel conjugicidii: cognatio, consanguinitas et affinitas.

A regimine autem Caesareo - regio Austriaco addita sunt insuper:

Defectus proclamationum, status militaris, minorenitas et poena gravis carceris.

Primis ecclesiae temporibus impedimenta matrimonii impediencia atque dirimentia a Moseos regula ad Christianorum coetus ab Apostolis translata esse videntur; Apostolorum successores ad statum tam sanctum, tam necessarium, ad vocationem tam arctam servandam in regionibus diversis divisi, pro sua quisque sententia ineundi matrimonii fidelibus regulas praescrip-

serunt. Quidam eousque progressi sunt, ut septem gradus consanguinitatis et affinitatis statuerent, id quod observari diu non potuit. Successit periodus altera, in qua episcopi alicujus provinciae, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus propriam sibi observandam normam, leges proprias circa fidelium matrimonium observandas praescripserant, non vero ita procul ab invicem distinctas. Nam sacrae ecclesiae unitatis principium praecipue cunctis cordi fuit.

§. 11.

Ex eo tempore, quo sedes Sti. Petri apostolica ad servandam unitatem leges matrimoniales in occidente, episcopis et fidelibus instantibus, suae jurisdictionis fecerat, leges matrimoniales ubique eadem constitutae sunt. Tali modo in sacro Concilio Tridentino matrimonia vagorum et clandestina et per raptum inita, non solum illicita sed etiam invalida declarata sunt.

§. 12.

Supra dictum est in foro ecclesiastico plura esse impedimenta matrimonii statuta, quae quoad primum et secundum gradum consanguinitatis et affinitatis eadem sunt, ac impedimenta apud nos civilia, uno excepto, quod primum et secundum gradum cognationis spiritualis et affinitatis ex copula illicita concernit, quem jus civile nostrum eheu! non agnoscit, contra vero ecclesia absque dispensatione ecclesiastica impedimentis dirimentibus adnumerat.

Impedimenta ecclesiastica a sede Apostolica romana solvenda seu dispensanda sunt. Episcopi vix non omnes obtinent a sede divi Petri facultates quinquenales, quarum vigore iidem ipsi Romano pontifice con-

cedente dispensare valent, unico casu excepto impedimenti ex copula illicita secundi et primi gradus affinitatis contractae. Proinde episcopi ordinarii supplices ad Sanctam sedem pro talibus casibus dispensandi de tempore in tempus petitiones porrigere solent, atque absque multa difficultate obtinent. Quae res facit, ut episcopi ordinarii rite suis officiis satisfacere non impediantur.

§. 13.

Aevo recentiore cum in Gallia tum etiam in Austria impedimenta matrimonii civilia introducta sunt a Doctoribus, qui civilis nihilominus et canonici juris exploratores nominantur. Nostrarum partium non est, judicare de forensi foro ejusque indole et juribus; contenti enim sumus, modo leges ecclesiasticas observemus, quoad christianum contractum et sacramentum fidelium.

Sentimus vero amore pacis simul et veritatis, leges matrimonii etiam civiles contemni non debere, quantum enim potest, catholica ecclesia statum civilem tueri, juvare pro suis viribus nunquam non adlaboravit.

Aequum videtur esse, justumque, ut statui militari quaedam leges non nubendi, leges in genere suo gravissimae statuuntur; leges inquam, tales, sine quarum observantia militiae disciplinae ordo et rigor plurimum turbarentur, quod prohibere possit, imo vero et debeat, exercitus bene ordinatus. Sanctionem nullo pacto suo in foro ecclesia hisce impedimentis praestare potest, sed neque reprobare vult, ut arbitror, unde accidit, ut suo in foro civitas eadem impedimenta sta-

tuat, quae ecclesiasticis impedimentis dirimentibus simillima sunt. Dicunt auctoritati civili competere, facere, quod juri naturae et legibus christianis contrarium non est, quodque facile concedendum esse existimant. Fatemur, quod verum est, foro ecclesiastico mandata civilia saepius opem tulisse, ne nimia saecularium hominum molestia premeretur ad petendam a sancta sede matrimonium contrahendi petitionem supplicem.

In regionibus frigidioribus septemtrionalibus bienio serius maturitate donantur femellae, quam in meridiei plagis calidioribus, qua de re imperium civile utrique parti aetatis in Austria annum decimum quartum statuit sapienter, atque sic denuo ecclesiasticos juvat praepositos. Consensus minorennibus a patre vel ab avo, tutoribus etc. ad eorum in foro civili valide in eundum matrimonium necessarius iudicibus ecclesiasticis opportunam non raro moram praebuit ad causas quoque ecclesiasticas ponderandas. Pari quoque modo res se habet cum delicto rapiendi ad matrimonium personam aliquam, quod ecclesiastica lex inter raptorem et raptam dirimit, civile autem jus cuncta per raptum inita matrimonia absque distinctione dirimenda declarat, nisi forte dispensatione sanentur civili.

Impedimentum cognationis spiritualis ex baptismi et confirmationis sacramentis manantis forum civile non memorat, quam ob rem ecclesiastici curatores eo fervidius fidelibus proponere obligantur, nec prohibentur a iudicibus saecularibus prudentibus.

Qui in Austria gravissimis carceribus puniuntur, ipso facto inire matrimonium non possunt. Praecedit utique hominis cohabitationis possibilitas, lege civili abscissa. Trina proclamatio ante contrahendum matrimonium praecepto ecclesiastico impedimentum impedi-

ens; sed civili lege absque fori sui dispensatione et regula omissio trium proclamationum in ecclesia utriusque partis conjugum impedimentum tale declaratur, quod in foro ecclesiastico dirimens adpellatur.

Adulterium regimen nostrum civile nulla ratione tamquam impedimentum dirimens agnoscit, nisi id ipsum judiciali suo foro comprobatum sit.

Si sponsa a tertio quodam gravida post matrimonium inventa est, innocente parte renuente, eandem tamquam conjugem suam agnoscere, lex apud nos civilis talem casum impedimentum dirimens pronunciavit. Ecclesia e contra dicto in casu contractum ob rationes plerumque mitius agit, monet et rogat, ut ob sacramenti dignitatem peccati sponsus veniam praebeat benignam, atque sacramentum perceptum ultro honoret clementia christiana.

Quotusquisque hanc de matrimonio christianorum dissertationem pacato animo legerit, haud difficulter observabit legem ecclesiasticam matrimonialem a lege ejusdem generis civili apud Austriacos non ita procul dissonam esse, ut primo aspectu videri possit, et ut concordia hoc in capite inter sacerdotium et imperium componi non valeat.

Fuerunt equidem, Febronianos dicebant assecclas, doctores privati, partium studio ducti, qui affirmarunt, sanctam ecclesiam sua auctoritate una et sola non potuisse fidelibus suis jure proprio impedimenta matrimonii dirimentia sancire, hanc praerogativam dedisse ecclesiae summos imperantes.

Diu multumque theologos inter et nominatos mox doctores juris canonici disputatum est, recentiori aevi crisi succedente saniori sine ulteriori contradictione. Jus et auctoritas Ecclesiae circa leges matrimoniales

ulterius inficiari et negare non potuit. Primus iste gradus est, ut laudata saepe concordia sacerdotum inter et imperium stabiliri queat. Gradus alter ex parte maternae sensationis sanctae ecclesiae, ut quidam voluerunt, expectandus est, ut pari modo ab iudicio ecclesiastico leges civiles impedimentis ecclesiasticis dirimentibus simillimae agnoscantur. Verum enim vero in rebus politicis terrestribus ex lege Christi non manantibus ecclesia iudicium suum suspendit; non vult nec velle potest, probare id, et quodammodo sancire, quoad forum Christus et Apostoli nequaquam destinare. Benigna mater autem civitatis semper auctoritatem venerabitur et imo vero iuvabit pro suis viribus, quae et quodquod leges civiles sacris morum legibus et divis mysteriis non adversantur.

Sperandum est, et ut feliciter fiat, Deum precamur, ut etiam in his linea amica concordiae sacerdotum inter et imperium ducatur.

Nil desperandum, iudice utrinque benigno.

Lincii, Calendis Augusti 1854.

Gregorius m./p.

Episcopus.